502

MEINARDI TIJDEMAN

ORATIO
DE
LVXV; CIVIBVS, ET CIVITATI NOXIO:

DICTA PVBLICE
die XI. APRILIS, CIƆIƆCCLXXI.,
cum annuo RECTORIS ACADEMICI
munere decederet.



TRAIECTI AD RHENVM,
Ex officina IOANNIS BROEDELET,
ACADEMIAE TYPOGRAPHI, MDCCLXXI.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISSIMIS

ATQVE

AMPLISSIMIS

VRBIS TRAIECTINAE

CONSVLIBVS

AC

SENATORIBVS,

ACADEMIAE

CVRATORIBVS

MVNIFICENTISSIMIS, PATRIAE
PATRIBVS, PIETATIS ET E-
RVDITIONIS FAVTORIBVS,

ORATIONEM HANC

L. M. Q. D. D. D.

MEINARDVS TYDEMAN.

Digitized by Google

Digitized by Google

MEINARDI TIJDEMAN

ORATIO

DE

LVXV, CIVIBVS ET CIVITATI NOXIO.

ILLVSTRES AC PRAEPOTENTES TRAIECTINAE CIVITATIS ORDINES.

NOBILISSIMI ET AMPLISSIMI CONSVLES AC SENATORES HVIVS VRBIS, ACADEMIAE CVRATORES MVNIFICENTISSIMI.

SVPREMAE CVRIAE SENATORES AMPLISSIMI.

Digitized by Google

MEINARDI TIJDEMAN

QVIQVE HISCE COLLEGIIS AB ACTIS ESTIS, VIRI CONSVLTISSIMI, SPECTATISSIMI.

CVIVSVIS DISCIPLINAE PROFESSORES CLARISSIMI.

DIVINAE MENTIS INTREPRETES ADMODVM REVERENDI.

SCIENTIARVM ET ARTIVM QVARVMLIBET DOCTORES ERVDITISSIMI.

CVIVSCVMQVE ORDINIS AC LOCI AVDITORES HVMANISSIMI.

VOS DENIQVE, GENEROSI IVVENES, COMMILITONES SVAVISSIMI, PATRIÆ SPES, NOSTER AMOR AC GAVDIVM.

Digitized by Google

Ad civitatem quamcumque firmis fundamentis ſuperſtruendam, neque minus ad eam ſartam tectam ſervandam, multum intereſt, quid de Deo rebusque divinis cives opinentur. Quanquam enim toto cœlo res humanæ civilesque ab religione diſtare, quanquam multo magis ab legiſlatorum atque imperantium arbitrio, prima facie, quam a ſacerdotum & doctorum ſententia pendere videantur; nihil tamen efficacius eſt ad incolarum quorumvis animos apte ſcienterque regundos, quam illa perſuaſio de totius orbis & omnium mentium directrice potentia Leges etenim civiles, quamvis licet perfectæ, ſemper ab interiore vinculo, quod ipſam illam partem, qua homines ſumus, adliget, deſtitutæ, non ultra pertingere valent, niſi ad iſta ſcelera cohibenda, quæ, palam cognita, probationibus evidentibus ita pateant, ut nemo, quin patrata

ſint, dubitare poſſit: quænam enim qualesque de facinoribus occultis, de quibus nec ſatis conſtet, utrum contigerint, nec quis eorum fuerit actor, ferri; quomodo pœnarum ſanctione adſtringi; vel irrogatione firmari; leges poterunt? Deinde, ne illa quidem ipſa, quæ modo memorabam, crimina legum imperio cuncta tenentur, ſed hæc ſola, de quibus probabilis conjectura eſt, eorum plenam coërcitionem maioribus ex hominum improbitate ſceleribus anſam non eſſe daturam. Quænam enim umquam respublica exſtitit, in qua luxuria, fornicationes, adulteria, ſtupra, foeneratorum fraudes artesve Macedonum, ita potuerint exſtirpari, ut non alia peiora vitia in eorum, utcumque gravium, locum irrepſerint? Præterea, quis neſcit, eam legum latori ac vindici mandatam eſſe provinciam, ut videat, nequid *respublica* detrimenti capiat? Quod ſi ita eſt, jam *et* ſingulorum minorem quam omnium in civi-

tate

Digitized by Google

tate ſociorum, *et* illorum duntaxat criminum habere rationem debebit, quæ civium vitam, corpus, famam, poſſeſſionesve lædant: ea vero benevolentia, quæ vel ſingulis prodeſt, vel compoſitis moribus, animo grato atque benefico, & quavis virtute continetur, omnis extra publicas tabulas erit, hominum conſcientiae, ſanequam anguſtæ, ſi ſolas ad leges exigatur, relicta. Quæ quidem uti non leves in puniendo legum humanarum defectus arguunt, ita non minor in largiendis præmiis difficultas emergit. Quid enim? uti puniendi ſunt omnes, qui contra legum præcepta quidquam commiſerint, itane præmiis omnes honorari poterunt, qui eadem intacta ſervarint? Hoc ſi velis, vel a civibus idem illud in commune conferendum erit, quod mox, præmii nomine, ſed quo nemo beatior evadet, inter eos diſtribuatur; vel continuo bella ex bellis erunt ferenda, ut ab exteris capi poſſit, quod civibus largiare; ſed hoc quam pericu-

riculoſum, & quam utrumque abſurdum ſit, quis non videt? (*a*)

Hinc itaque civitatem, vel quamvis etiam ſocietatem absque religione, merito navi, gubernaculo deſtitutæ, comparaveris: hinc laudanda maxime videtur illorum ſapientum ſollertia, qui, civitates condituri, vel ſuas leges ab aliquo Numine ſibi traditas eſſe finxerint, (*b*) vel a præcipienda Deorum immortalium veneratione cultuque, uti Zaleucus atque Charondas, inchoaverint: (*c*) ita ſuis civibus ſignificantes, ante omnia credendum, eſſe Deum, qui rerum terreſtrium curam gerat, qui clam factorum, ipſorumque animi receſſuum notitiam habeat, eosque, qui vel pœnam inter ſuos effuge-

(*a*) Conf. *Warburton* in *Divina Legat. Moſ.* L. I. C. 2. p. 19—32. Ed. *Belg.*

(*b*) *Idem* L. II. C. 2.

(*c*) *Idem* L. II. C. 3. & Cl. *Heyne* binis disputatt. *de Legib.* a Zaleuco Locris *ſcriptis*, Gœtting., fol.

Digitized by Google

gerint, doloribus & cruciatibus; vel boni viri officia impleverint, honoribus ac præmiis, humanum modum excedentibus, mactare velit ac poſſit. Quæ quidem veriſſima ſententia, tam evidens, ut eam nemo ſanus ſua ſponte non facile perſpiciat, tot tamen tantisque apud antiquos illos tenebris involuta, tot falſis opinionibus inmixta fuit, ut humanæ mentis, ſibi relictæ, pravitas inde perquam manifeſta ſit. Neque ideo minus eadem illa perſuaſio valuit ad animos hominum ita continendos, adſtringendos, & evehendos, ut ex ea multas egregias virtutes, publico bono utiliſſimas, enatas viderimus. Quod ſi tantum potuerit abſurda in multis ac fatua de Diis inmortalibus opinio; de Diis in tantum ab hominum vitioſitate pravaque indole non alienis, ut é contrario tam turpia de illis referrentur crederenturque, quæ ſi de quovis honeſto cive narrares, vapulares merito: quanto maiores, quantoque præſtantiores effe-

ctus

Digitized by Google

ctus illa non habitura religio eſt, quæ, ſordibus fabuliſque vacua, nihil aliud docet, quam breviſſimam certiſſimamque ad veram felicitatem ſemitam? — Hæc autem vel nusquam eſt, vel a CHRISTO tradita.

Sed, præcipit hæc Chriſtiana religio clementiam, manſuetudinem, animi ſubmiſſionem ac depreſſionem; ab omni ferocia, faſtu, luxurie, ſuperbia dehortatur: ſic ignavos milites, cives inopes ac deſides, verbo, rempublicam neque bello, neque pace felicem, effectura, ſed omnem, in armis, fortitudinem; quiete, publicam opulentiam, exſtinctura videtur. — Ita quidem, AA., ævi noſtri minuti quidam philoſophi cenſuerunt, neque parum hoc ſibi ſollertiæ ſuæ ſpecimine placuerunt: ita & Rationi, quam ſolam veram fidamque magiſtram crepitant, præ patefacta divinitus veritate magnum decus addere; civitati vero, cuius conſtituendæ regundæque multo ceteris peritiores haberi volunt,

Digitized by Google

lunt, incrementum ac robur conciliare molientes: ſimulque animo, ſibi genioque indulgere ſolito, ſuavem aliquam cogitationum ſuarum adprobationem parare conati. Verum enimvero, quantum ab recto veritatis virtutisque tramite devii ſint; quantum, prodeſſe dum cupiunt ac delectare, noceant doloremque creent, animus eſt illuſtri in præſens documento oſtendere, ſplendidumque illud vitium, LVXVRIAM, examinare propius, ut pateat, quam infirmo ſæpe tibicine ſuffultum ſit iſtud novi, quod plures hac ætate politici tanta argumentorum ſpecie, verborumque elegantia commendarunt, ut haut paucos, ceterum minime malos, in adſenſum rapere potuerint. Dum itaque docere conabor, *civibus quibusvis, civitati cuivis nocere Luxuriem*, quæſo vos, AA. OO. OO. HH., aures animumque advortite, neque favorem oratori negate, qui, ſi minus eloquentia, rationumve pondere, boni tamen publici privatique promovendi,

Digitized by Google

di, ac ſimul veræ religionis, quam profitemur omnes, defendendæ ſtudio vobis probatum iri confidit.

Heic autem ab initio, ne per ſpatium longius, quam unde domum redire liceat, evagemur, curate monendum erit, quid mihi, quid merito luxuriæ nomine venire videatur; deinde hoc agam ut illam, cum privato, tum civitati cuivis, in primis Belgicæ, noxiam admodum eſſe, perſuadeam: denique, quæ, magna cum veri ſpecie, contra dicta fuerunt confutanda venient.

Ubi Luxuriæ finitionem ab aliis plane neglectam (*d*), ab aliis admodum varie traditam

(*d*) Hoc vitio laborat *Hanovius* in *Politica*, magno libro, magno malo: tum Auctor, ceteroqui minime malus, *des Interêts des Nations de l'* Europe, *dévélopés relativement au Commerce* (Leide 1766. 4°), Tom II. p. 90 — 100. Iterumque *dans le Commerce de la* Hollande, (Amſt. 1768. 8°) Tom. II. p. 241 — 270. Ubi dum p. 267. ait, haut alii cauſſæ, præterquam immenſo luxui,

Digitized by Google

tam (*e*) adtente mecum conſidero, mirari ſubit humanæ mentis imbecillitatem, quæ tam fa-

luxui, tribui poſſe magnam in imperio Chinenſi populi frequentiam; obloquitur Ill. *Monteſquievo* de *l'Eſprit des Loix*, L. VII. C. 7. p. m. 172. T. I. (Amſt. 1760. 8°) — Neque dixit, quid luxum putaret, *Marmontel*, *Beliſaire* Ch. 13. p. 126. ſqq. (Amſt. 1767. 8°) ubi ceteroquin obſervationes habet utiliſſimas.

(*e*) *Mandevillius*, primus forte, qui luxum aperte laudare fuit auſus, ait „*Luxus* nomen mereri, quidquid ad vitam hominis „ prorogandam abſolute neceſſarium non eſt," in libro, ſi non peſſimo, ſaltem admodum imprudenter ſcripto, luxuriantis ingenii fœtu, inſcripto *La Fable des Abeilles, ou les Fripons dévénus honnêtes gens; avec le Commentaire, ou l'on prouve que les vices des Particuliers tendent à l'avantage du public*, (quem titulum ſic exponit, ut tolerari poſſit, Tom. II. p. 216. & 266. *que les vices des Particuliers, ménagés avec dextérité par d' habiles Politiques, peuvent être tournés à l'avantage du Public*,) ex Anglico ſermone, quo prodierat A. 1714., verſo, cumque aliis eiusdem ſcriptis edito; IV. Tomis in 8° Londini (ut aiunt) 1740., Tom. I. p. 109. — Eodem modo Ill. *Monteſquieu* dans *l'Eſprit des Loix*, L. VII. C. 1. *Suppoſant le néceſſaire phyſique égal à une ſomme donneé, le luxe de ceux, qui n'auront que le néceſſaire, ſera égal à zero.* Similiter nuperus Auctor libri, cuius index *Theorie du Luxe, ou Traité, dans lequel on entreprend d'établir, que le Luxe eſt un reſ-*

 ſort

facile ſoleat etiam invitos in transvorſum rapere, atque efficere, ut, communis inter homines ſenſus ac

ſort non ſeulement utilet, mais même indiſpenſablemen, néceſſaire à la proſperité des Etats; cum epigraphe *le ſuperflu, choſe très neceſſaire*, VOLT. *Mondain*, 1771. 8° Part. I. C. 5. p. 106. *Tout ce que les arts enfantent, eſt* Luxe. p. 111. *Le caractere diſtinctif des choſes de luxe, eſt de n'être pas néceſſaires. D'apres ce principe la claſſe du Luxe englobe — le pain même.* p. 114. *Le rabot d'un Menuiſier, la charue d'un Laboureur, ſont des choſes de Luxe.* p. 121. *Le mot* Luxe *ne peut donc ſignifier, & ne ſignifie réellement, que les* jouiſſances ſuperflues, *les* choſes ſuperflues: *c'eſt-à-dire, dont on peut ſe paſſer, qui ne ſont pas rigoureuſement* néceſſaires. *Car telle eſt la valeur du mot* ſuperflu: *on le définit*, qui ne ſert de rien pour la néceſſité. p. 122. *L'on ne fera, que ſ'exhaler en vains diſcours ſur cette matiere, ſi l'on ne poſe pas pour principe, que le mot* Luxe *ſignifie purement & ſimplement, dans ſon ſens fondamental, tout ce qui eſt* ſuperflu, *tout ce qui eſt au-delà du neceſſaire abſolu*: pluribusque illam vocis acceptionem firmare nititur Cap. ſq. & in Append. ad calcem Partis II. Cum his quidem facere videtur acutus Auctor *des Elémens du Commerce* (Amſt. 1755. 8°) P. II. C. II. p. 134. aiens, *Ceux qui poſſédérent dans un moindre degré la faculté d'exiſter commodement, appellérent ſuperflu ou luxe, l'uſage que les autres en faiſoient dans une plus grande abondance. — Si les cenſeurs du luxe n'attachoient à ce mot, que l'idée*

ac vocum uſûs nulla ferme ratione habita (*f*), ſæpiſſime res, ceterum minime obſcuræ, ſic implicen-

l'idée générale d'une dépenſe ſuperflue, il eſt conſtant que la conſéquence néceſſaire de leur principe ſeroit de rapeller les hommes à l'egalité de l'opinion, & l'égalité réelle tout à la fois. Ce ſeroit les reduire aux beſoins phyſiques, qui ne comprennent que la nourriture & le vêtement dans toute la ſimplicité qui peut ſ'accorder avec notre conſervation. Ipſe tamen a luxu mox excludit, quidquid ad commoditatem, non ad voluptatem meram pertinet, atque ab initio ſic ait, p. 132. *Le Luxe eſt l'uſage que font les hommes de la faculté d'exiſter agréablement par le travail d'autrui.* —— Strictius paullo *Melon*, dans ſon *Eſſai Politique ſur le Commenrce* 1736. 8° Ch. 9. p. 106. *Le Luxe eſt une ſomptuoſité extraordinaire, que donnent les richeſſes & la ſecurité d'un Gouvernement:* quæ finitio placuit Illuſtri *Bielfeldio* dans ſes *Inſtitutions Politiques*, Tom. I. C. 4. §. 20. p 47. Ed. in 4°; ſed diſpliceret haut dubie Auctori *de la Théorie du Luxe*, qui P. I. C. 6. p. 130-132. reprobat, in *Dictionario Trivultino*, *Moneti*, & *Academiæ Gallicæ*, Luxum per *ſomptuoſité exceſſive* circumſcriptum eſſe, negans illud *exacte* ſactum eſſe. — Media vocis ſignificatio eſt ſecundum egregium in Politicis *Humium*, *Eſſays and Treatiſes* (Lond. 1758. 4°) Part II. Eſſ. 2. p. 157. *Luxury in general, means great refinement in the gra-*

centur diſceptando, vel ita determinentur, ut inde vel vaga vel falſa collectio ſponte prodeat. Mihi

gratification of the ſenſes: quod recte dedit interpres Belga (Amſt. 1764. 8°) p. 36. *Weelde geeft in het algemeen groote kiesheid en oplettendheid in de voldoening onzer zintuigen te kennen.* Sed jam ſatis opinionum: eos, qui malam in partem capiendam omnem Luxuriæ appellationem cenſent, infra memorabimis, adnot. (*k*). Interim vagam eſſe, nec ſatis per ſe determinatam vocem, conqueſti ſunt plures ex his, quos jam memoravimus, neque omnes, ut infra patebit, adſentient viro Clariſſimo, *I. D. Michaëlis*, ſcribenti, *Tout le monde ſait ce qu' en François ſignifie le mot* Luxe*: ce mot ni prévient pour ni contre la choſe qu' il repréſente.* Vid. *de l' Influence des opinions ſur le langage* (Breme, 1762. 8°) p. 98. ſeu Ed. Belg. p. 119.

(*f*) Ab hoc vitio ſibi liber eſſe videtur Auctor *de la Théorie du Luxe*, dum Tom. I. C. 6. p. 123. ſic ſcribit: *Le ſens original du mot Luxe confirme la définition qu'on a donnée de ce mot au Chapitre précédent.* (vid adn. *e*) *Le mot Latin* luxus *d'où eſt dérivé le mot François* Luxe, *ſignifioit au propre chez les Romains purement & ſimplément* ſurabondance, ce qui eſt audela du néceſſaire, le ſuperflu. *On le voit par des paſſages des différends auteurs dont la bonne latinité eſt inconteſtable.*

Digitized by Google

Mihi quidem ſugienda ac reprobanda, tanquam multis modis noxia, Luxuria —: ſed tamen &c

ble. Loca non pauca cumulavit in Appendice, ſive diſſert. *ſur le ſens primordial du mot* Luxe, Part. II. p. 179. ſeq. ex *Virgilio*, *Columella*, *Plinio*, *Curtio*, *Ovidio*; uſus etiam in primis auctoritate *Min-Ellii*, qui ipſi eſt, p. 180, *un des meilleurs ſcholiaſtes qu'il y ait, & qui a fait ſur Virgile, de même que ſur pluſieurs autres auteurs anciens des notes courtes qui ſont excellentes*; tum *Taubmanni*, *Nicoti*, *Calepini*, *Rob. Stephani*: rejicit autem *Feſtum*, *Nonium*, *Servium*, *Harduinum*; & concludit, p. 195. *Les jouiſſances non taxées de Luxe étoient donc reputées* (NB) *néceſſaires, & par le mot* Luxus *on entendoit donc chez les Romains les jouiſſances au-delà du* néceſſaire, *c'eſt-à-dire les jouiſſances ſuperflues & même en général toute ſuperfluité, comme le prouve l'uſage que Virgile & les autres Auteurs cités en ont fait.* Sed ad hæc notandum 1. Multum differre res plane neceſſarias ad vitæ conſervationem, & illas, quæ tales *putantur*. 2. Qualis alicuius vocis prima ſignificatio ſit non adeo exemplis & uſu quam origine & derivatione judicandum eſſe. 3. Hoc ipſum eſt, quod quæritur, utrum in locis adlatis vox *Luxus* proprie ſumatur an metaphorice. 4. Pleriſque in locis aliquid etiam vitii junctum eſſe vocibus *Luxus*, *Luxuriæ*, *Luxuri[illegible]*, facile monſtrari poſſet, ſi quidem id agere vellemus. 5. Pauca tantum, quæ de hominum agant luxurie, loca proferri, plera-

& hinc vitanda Catonum nimia ſeveritas —;
illinc Bacchanalia viventium effuſum laxamen-
tum

pleraque ad agrum, vitem, pabula, folia, pertinent; aſt de hominum luxu agendum erat. 6. De hoc multo plura veterum loca nullo negotio proferri poſſent, ubi voces *luxus*, *luxuria*, *luxuries*, *luxurioſus*, ſimpliciter poſitæ, malam in partem omnino capiendæ ſunt. Vnam addo *Voſſii* obſervationem, Auctoris illius tota diſſertatione potiorem, in *Etymolog.* p. 349. „ *Luxus* nunc adjective ſumitur, ut cum dicimus *luxum pedem* pro „ *luxato:* nunc ſubſtantive, cum idem eſt, quod *luxuries.* — „ Eſt vero *luxus* a ſupino *luxum.* Nam ut a *vebo*, tum *vectum* „ dixere, unde *vectigal;* tum *vexum*, unde *convexa*, & verbum „ *vexare:* ut item a *fluo*, tum *flutum* fecere, unde *flumen* & „ *flutæ;* tum *fluxum*, unde *res fluxæ:* ſic a *luo lutum* dicebant, „ unde *dilutus*, *ablutus:* tum *luxum*, unde *luxus*, id eſt *diſſolutus*, & verbum *luxare*, apud Plinium, hoc eſt, *reſolvere.* „ *Luxus* igitur, unde *luxuries*, vitium eſt diſſoluti animi. Nempe ut ab *eſum*, *eſus*, *eſuries*, ſic a *luxum*, *luxus*, *luxuries.* — „ Proprie autem *luxus*, & *luxuries*, ſignificant *profuſam impenſam.* — Μεταφορικῶς autem dicitur de *ſumma germinum ubertate ac redundantia*". Legit hæc homo Gallus, ut patet ex eius pag. 196., ſed non adtigit. — Quod ſi quæras, quid itaque differat a luxurioſo prodigus? dicam, ex definitione *Luxuriæ*,

tum —; neque res ex apparitione quadam aut ſpecie; non ex effectu magis & eventu, ex quo fallax ſæpe judicium ferri conſuevit (*g*), quam ex ipſo animi habitu, ex vitiis inde prognatis, & ex agnita paſſim veritate cernenda videtur.

Ita-

riæ, quam traditurus ſum, cognoſci poſſe, Luxurioſum plerumque ſimul eſſe prodigum, non contra: quamquam neque ſatis hæc diſtinxerit accurate *Voſſius*, aiens, p. 477. „ *prodigere* eſſe „ *præter modum erogare*"; neque ſemper diſtinxerint veteres, inter quos *Iul. Paullus* in l. 15. D. *de Cur far.* et in *Sent. Rec.* L. III. t. 4. §. 6. ſic: *Mulieri quæ luxurioſe vivit*, *bonis interdici poteſt*: ubi intelligendam eſſe profuſe viventem, quæ nec finem, nec modum impenſis adhibeat; poſt *Fornerium* notavit C. *Schulting.* in *Iurisprud. Antejuſt.* p. 340.

(*g*) Ad rem faciunt dicta Clariſſ. *Feder*, profeſſ. Göttingenſis, in diſſ. *de homine natura non fero*, S. I. §. 5. p. 457. *Syntagmatis Diſſertation. Philoſoph.*, cura noſtra propediem prodituri: „ In phyſicis & mechanicis eundem effectum eandem „ arguere cauſam proximam, recte ſtatuitur. At ſi ſimilibus „ factis ſimilia conſilia præeſſe crederemus, tum vero magnopere falleremur, & fallimur profecto ita in conſuetudine quotidie".

Itaque procul a Luxuriæ nota ſubmovendam exiſtimo, *cum* publicam in aliqua gente, gentisve Principe, legato, magiſtratu, magnificentiam (*b*), qua ſplendoris, decoris, feſtivitatis, digna conveniensque cura ac ratio habetur; qua feſti ſollemnis occaſione nihil obſtat, quo minus etiam privati lætius & hilarius ſe ſuosque invitent, domosve ſuas plus ſolito ornatas, aut artificioſo lumine illuſtratas, ſpectandas exhibeant: *tum*, opulentorum ſimul & illuſtrium ſuis in ædibus largam ſupellectilem, dapes exquiſitas, vaſa pretioſa, numeroſam familiam, habitationem commodam, copioſa lumina; in publico veſtem ſumtuoſam, villas ſplendidas, amplas piſcinas, rhedas inſignes, equitium acre, canes famu-

(*b*) *Cic.* pro Mur. C. 39. *odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit.* Eſt autem *magnificentia* „ rerum magnarum & excelſarum cum animi ampla qua„ dam & ſplendida propoſitione agitatio atque adminiſtratio", *Eidem* de Invent. L. II. C. 34.

Digitized by Google

ſamuloſque venaticos quam optimos; oculis paſcendis libros, picturas, inſecta, feras, aveſque peregrinas, & quorum præterea poſſeſſione ditiores ſe ſuoſque familiares & hoſpites delectare ſolent. — Quid enim? cum cœlum ſtellis, terram arboreſque floribus; herbis & graminibus campos; piſces, aves, atque feras pulcherrimi coloris ſquamis, plumis, ac pellibus, ad ornatum non minus, quam ad uſum, decore veſtita conſpiciamus ab ipſo Numine: quid eſt, quod hominem ſolum ab rerum ad amœnitatem ſplendoremque comparatarum poſſeſſione, a ciborum delectatione, a veſtimentorum ornatu, tandem ab ædium inſtructarum commoditate, ſollicite ſibi cavere jubeat? Itane, AA., ad antiquam morum ſæculorumque barbariem; ad tuguria caſaſque; ad herbas, radices, ac glandes; ad amictus pelliceos, & horrorem priſtinum omnibus erit redeundum? itane fatigatis nobis humus cubile eſſe; cibus, quem occupamus, ſatiare

Digitized by Google

debebit? — Abſit, ut tam rigidum morum doctorem vel audire, vel ipſe præbere me velim! — Hæc qui laudare cupiat, vereor, ne ſanæ rationis inops, ne pietatem fucatam pro vera amplexus, merito videatur; atque ſententiam veſanam proponere putetur, non minus a politicis, quam philoſophis explodendam, ac ludibrio habendam. — Quod ſi enim populus quisque tanto beatior atque felicior exiſtimari debeat, quanto maiore rerum præſtabilium hominumque induſtriorum numero abundet; quid, quæſo, peregrinos in regionem noſtram, quid aliunde mercatores ac negotiatores alliciet, quid ipſam vitæ commoditatem ſuavitatemque nobis conciliabit, ſi omnia eius rei media ſtudioſe vitemus? — Quo tandem modo merces noſtras, etiam ſuperfluas, cum alienis, commutabimus; quo modo victum habebunt homines & opifices noſtri; qualis artium ſcientiarumque vigor, qualis ambitus, quænam utilitas, quodve incremen-

Digitized by Google

mentum ſperari poterit? Hæc jure ſuo quæret politicus: — Philoſophus vero: ſiccine rerum, ait, ordini convenienter, ſic omnium hoc in univerſo bonorum harmoniæ finibusque decore tuas adtemperabis actiones, ſi quidem, induſtriam laudans & commendans, induſtriæ tamen fructum ſpernas ac reprobes? ſi, quodcumque ſuavis atque iucundi fœcunda mater natura tibi gignit, & largo copia cornu profundit, tu pede protervo longe proturbes? Itane tuam atque univerſi perfectionem augebis, ſi, loco plurium, quæ poſſes, quam pauciſſima potius ad optimos fines conſequendos adhibere malis? Itane divini favorem Numinis tibi conciliatum iri, ſic illi te placiturum opinaris maxime, ſi, quæ dona ſumma benignitas liberali manu tribuit, a te ſubmoveas atque recuſes, & ipſo ſapientiſſimo ſpiritu te magis intelligentem feras? Itane patronum, amicum, patrem demereri ſatages, ſi quævis illorum beneficia par-

vi pendas, imo nihil niſi glandes & aquam acceptare, tuumque in commodum vertere audeas? Quod ſi vita ducenda eſt, & defendenda, poteruntne reiicula videri, quæ tanto quemque certiorem reddunt de rerum ad vitam neceſſariarum poſſeſſione ſtabili? —— Quæ quidem uti non poſſunt non abſurda, iudicioque rationalis hominis indigna videri, ſic ab una parte premunt, auſteræ virtutis amatores, hæc omnia, quæ dixi, luxui tribuenda cenſentes; ſed e contrario minime diffiteor, eadem hæc ulterius multo, quam par fuerat, a luxuriæ defenſoribus protracta, nimiumque urſa fuiſſe: qui, ſi nihil aliud dixiſſent, niſi commoditatum & amœnitatum enumeratas ſpecies, cum ad vitam humanam, decoram, ac ſuavem; tum ad augendam univerſæ civitatis felicitatem eſſe neceſſarias, novi quidem nihil protuliſſent (*i*); aſt

(*i*) Vid. ex. gr. *Monteſq.*, *Lettr. Perſ.* 106. p. m. 240. Opp. T. V. ed. Amſt. 1760. 8°.

Digitized by Google

aſt rem tamen, in ſe vel bonam, vel mediam, nomine non congruo adpellaſſent. Utrumque ſcopulum evitaturi, atque ita felicius optatum portum aliquando conſecuturi nobis videmur, ſi magnificentiæ, civilitatis, urbanitatis, humanitatis, atque decori potius denominatione hæc omnia, modo vitioſus & animus & effectus abſit, diſtinguamus, quam odioſa merito Luxuriæ palla involvamus: dum tamen & ipſi viciſſim largimur, nihil familiare magis eſſe, quam ut hæc ipſa Luxuriæ ſint eventa, prolesque infelices. Quo minus ergo confuſa vocum adpellatione doctrina politica potius implicetur, quam extricetur, neve plus eadem noxæ, quam utilitatis adferat civitati; ſic optime Luxuriam definire mihi videor, ſi per illam intelligendam eſſe dixerim „ illam animi cupiditatem, qua in uſu „ fructuque rerum extra ſe poſitarum plus ſibi „ indulget, quam recta ratio permiſerit, ef-

fecti-

„ fectibus etiam noxiis publice cuivis adparen-
„ tem (*k*)”.

Ani-

(*k*) Loca veterum, *Luxuriam* ut vitium intuentium, cumulare non lubet, quia copia molientem obrueret. Inter recentiores haut pauci ſunt, qui mecum vel partim, vel plane, faciunt. Vſus communis induxit *Guil. Sevelium* (Sewel), ut ita ſcriberet, in orat. *in Luxum* (Amſt. 1715. 4°), p. 7. „ Di-
„ cturus autem ſum de *Luxu*, re ſane pernicioſiſſima, &c.
„ Quid vero ſit illud malum, adeo cuique notum eſt, ut plane
„ ſupervacaneum foret dicere, quænam ſit ſignificatio vocis
„ *Luxuriæ:* nam quis neſcit, eam eſſe nimiam largitatem, ac
„ vitium frugalitati directe contrarium”? Addamus Cl. *Jo. Heumann.* im Geiſt der Geſeze der Teutſchen/ Cap. 24. §. 4. p. 356. Das wort Ueppigkeit hat bey den alten Teutſchen jederzeit ein Laſter bedeutet; die juengern Teutſchen ſollten ſich ſchaemen/ eine glaenzende Tugend daraus zu machen. *Warburton* in *Divin. Legat. Moſ.* L. I. C. 6. p. 124. „ *Overdaad* (Anglice *Luxury*) is het
„ gebruik van de gaven der voorzienigheid ten nadeele van den
„ geenen dieze gebruikt, het zy in zyn perſoon, of in zyne
„ goederen; of ten nadeele van eenen ander, tot wien hy ee-
„ nige betrekking heeft, welke hem verpligt om hulp en byſtand
„ te verleenen”. Cl. *J. de Caſtillon* discours *ſur l' origine de l'*

Iné-

Digitized by Google

Animi bona vere noſtra ſunt: ceteræ res omnes ab arbitrio noſtro non pendent: hinc Ratio prohibet, in rerum corporalium non facile parabilium, poſſeſſione & uſu tanto ſibi opere placere, ut absque illis felicem aliquis vitam vivi poſſe neget; utque, quamdiu ſpes aliqua ſupereſt, eas alicunde haberi poſſe, nihil intentatum

Inégalité parmi les hommes, p. 199. *Tout ce qu' on appelle luxe, fait circuler l'argent, & fleurir la ſocieté, tant qu'il n'excede pas ſes richeſſes. Ce n'eſt pas luxe; c'eſt magnificence. Le luxe conſiſte à dépenſer plus qu' on ne peut, & à employer, comme fit Periclès, au ſuperflu les fonds deſtinés au ſoutien de la République.* Conf. ibid. Not. p. 332 — 346. ibique verba *Hutcheſoni* p. 334 — 339. Poſtquam ex *Antimachiavelli* C. 16. locum adtuliſſet, addit: *Donc la luxe dont ce ſage auteur fait l' éloge, n' eſt pas un vrai Luxe.* Accedat *Jo. Stapfer* Homil. XVI. ad *Luc.* XVI. 1. 2. T. II. p. 420. Ed. *Belg.* „ Wy verſtaan door de ondeugd van weelde „ en verkwiſting het zondig misbruik van de tydelyke goede- „ ren, wanneer men die tot hoovaardy, of tot ydelheid, of tot „ welluſt, of tot onnoodige koſten, of tot ondeugden, of tot „ verkwiſtende uitgaven beſteedt, en daar door zig zelven of „ anderen ſchade toebrengt". Add. egregius homo Iudæus, *Pinto*, *Eſſai ſur le Lxe* (Amſt. 1762. 8vo) p. 10.

tum relinquat, quo magis has ſibi comparet: ſic ut perinde ipſi ſit, ſive rebus creatis abutatur; ſive conditionem, in qua poſitus eſt, tranſſcendat; ſive juſtas aliorum poſſeſſiones, quo ſuæ voluptates, ad breve licet tempus, augeantur, inminuat. — Ita videtis, AA., quamquam extrema vitii virtutisque ſatis ubique luculenter appareant, ita ut, non minus quam manifeſte falſa ac vera, quorum formæ ſunt, tactu quodam ſenſuque ſatis discernantur; in confiniis tamen utriusque limites adeo ſibi vicinos, ut tantum non aliquando confundi videantur, neque adeo facile fines regantur: aſt neque illud obscurum manet, plures ſupereſſe notas, quibus homo luxurioſus a frugali & parco, quamvis benefico, liberali, magnanimo, poſſit internosci; quæ notæ quo magis perſpiciantur accurate, tanto evidentius, opinor, in oculos incurret huiusce vitii turpitudo.

Redeunt illæ cum ad animum, tum ad effectum vitio-

vitioſum: quem utrumque ita contemplabor, ut inde ſimul adpareat, quam noxia ſingulis Luxuria ſit.

Animum vobis fingite hominis, uti ſolent eſſe quam plurimi, quin uti nativus eſt omnium, ſpecie rerum externarum, abundantia, pulcritudine, ſplendore, faſtu, deſidia, ſegnitie, facile captum delinitumque: fruatur occaſione fortunaque proſpera, qua magis paullatim ac magis ipſi liceat indulgere ſibi, cupita nancisci, ſpem unam poſt aliam implere. Deſideret homo meus, quod nemo vituperaverit, de proprio vivere; mercator evadat; ducat uxorem, habeat liberos, ædes proprias, victum uberem, famulum, ancillam: — nihil adhuc vitii, nihil quod merito culpaveris. —— Quin cupiat augere fortunas, metumque calamitatis, & infimæ ſortis adhuc ſubmovere longius: — acuit induſtriam, intendit nervos; — augentur reditus: — ædes incipit ampliores habitare, familiam numeroſiorem conducere; veſtes ſibi ſuiſque

minem magnanimum hunc adfirmabo. Sed parum noverit hominum animos oportet, qui ſic vulgo comparatos illos exiſtimet. — Eundem videamus hominem, æque ſui, lucri, fortunarum, atque ſplendoris ſtudioſum; aſt non eodem Dei, proximique amore inbutum: jam, quid proclivius, quid magis exſpectandum erit, metuendumve, quam revera virum noſtrum blando luxuriæ vitio inmerſum iri; atque, uti ſunt homines a labore proclives ad lubidinem, ita votorum compotem de ſua nonnihil, & deinde plus paullo, remiſſurum diligentia; diem unum atque alterum in villa acturum, quem domi debuerat & in foro: Plus incipiat aliquanto temporis, quam negotia patiuntur, amicis dare; magis ac magis in his ſibi indulgere, animum laxare, diſcingi frequentius; incipiat amare, optare, ardere vinum dapesque ſumtuoſas; identidem ædes, villas, equos, rhedas, veſtes, ac vaſa mutare, & ad noviſſimam ſpeciem compo-

Digitized by Google

nere: neque principibus in rep. viris hac parte quidquam concedere: quid tandem, AA., futurum cenſetis? — Accedat urguens calamitas, ut vel naves in mari complures frangantur, vel debitor unus & alter cedat foro, vel pretium mercibus, aut nominibus exteris, illo neſcio, decrescat: ſic minuentur reditus, nec tamen imminuet impenſas: ita jam ſuis adſuevit voluptatibus, ita ſolitus eſt habitare ſuis in deliciis, atque ævum degere, ut quidvis potius & acturus ſit & excogitaturus, quam ut ſuscepto ſemel faſtui renunciet. Tandem, redactus ad incitas, tanquam ex altiſſimo ſomno excitatus, obæratorum pravas artes adhibet, aliorum cum damno detrimentoque claudit officinam, alíorſum ſe confert, atque ibi de bonis alienis molle ſæculum agit ac deſidioſum. Sic vara vibiam ſequitur: unus altero peior. — Sed meliorem homini noſtro voluntatem, meliorem tribuamus eventum. Locupletior factus induſtriam priſti-

priſtinam adhibeat, itidem, ut ante ſuis rebus invigilet, animo tamen luxuriæ mancipato; ſic vivat, quamdiu ſupereſt: jam illud ſaltem noxæ videtur exſtiturum; ut ita eius liberi educentur, atque inſtituantur, ac ſi in externarum poſſeſſione rerum & voluptatum omnis vera felicitas repoſita, vitaque potius, quam his vitæ adminiculis, carendum foret. Illi, ſic adſuefacti, parentibus nequiores, deſidiam amabunt; induſtriam atque labores odio habebunt; fruges, ac bona ſua conſument; nec ſibi, nec patriæ, vere utiles: ac tandem vel ipſos, vel ipſorum ſi quos luxuria generare permiſerit, liberos adhuc vitioſiores, a patre jam avoque merita, ruina involvet. — Id vero ſi mercatoribus, hominibus gnavis atque ſollertibus, eveniat facile, quid, quæſo, manebit alios, quamvis illuſtri loco natos, qui nihil diſcere vel voluerunt, vel juſſi ſunt, niſi quod ad ſumtus faciendos pertineat? Etiam hi, ſi non aliud optent

aut

aut deſiderent, niſi quod in rerum caducarum uſu ſenſuumque titillatione poſitum eſt, ita ſuum animum informatum habebunt, ut nihil inde boni, plurimum autem mali, tam in familiam, quam in civitatem, redundaturum ſit.

Hoc autem evidentius adparebit, ubi Luxuriæ præcipuos effectus, eosque, qui facile, & tantum non ſemper, illi accedunt, comites adhuc ſingulatim contemplati fuerimus.

Ita comparati ſunt homines, ut ab rectæ virtutis via ſemel abrepti, non facile ſubſiſtant, ac modum deinde ſervare neſciant. Quid igitur evenire neceſſe eſt, poſtquam in huiusmodi vitium prolabſi fuerint, quod, lutulenti fontis inſtar, omnes ceterorum vitiorum impuras ſcatebras in ſe contineat, adeoque aliud præterquam amaras & turbidas aquas eructare nequeat? Tale vitium eſt Luxuria, quæ, de pravo ſui amore nata, in voluptatem, faſtum, avaritiam adoleſcit, atque ita de ſingularum illarum improbitatum

Digitized by Google

tum effectibus participat. Homo luxurioſus non ſemper intra moderatum rerum a Numine conceſſarum uſum ſe continet; ſæpius e contrario ad earundem abuſum delabitur; non ſibi temperat, neque contentus eſt, ſi tantum illa poſſideat habeatque, quibus vita commodior ac ſuavior reddatur amœniorque: verum ita voluptatibus atque deſidia mergitur ut neque gulæ, neque libidini finem modumve ſtatuat; Veneri ventrique, quantum & quamdiu vires ac vita, multo vero plus, quam opes ratioque permiſerint, indulgeat; denique, quidquid inordinato deſiderio quidquid titillationi ſenſuum ſatisfaciat, illud exoptet; neque, niſi hoc conſecutus, ſibi felix eſſe videatur. Ita jam animus uritur atque ardet; aliquid novi ſemper concupiſcit; acquieſcit nusquam, neque adeo felix eſt. — Sed neque felix evadet umquam. Quippe cum ſapientiſſimus arbiter huius mundi non absque certo præſtitutoque fine ac ſcopo res quasvis creatas & in

Digitized by Google

hoc orbis theatro conſtituiſſe, & inter homines diſtribuiſſe, dici poſſit; idem vero, ſimul ſanctiſſimus, ſimulque potentiſſimus, neque probaturus ſit umquam, neque impunem eſſe paſſurus uſum rerum quarumlibet, ipſarum naturæ contrarium, & homini, quod animal Deo dilectiſſimum eſt, noxium; dubitari nequit, quin omnem rerum, ſi per ſe ſpectentur, deſiderabilium & optimarum abuſum exquiſitis pœnis atque ſuppliciis ſit proſecuturus.

Quod ſi enim homo ſapiens ac benignus ægre laturus ſit, pecuniam a ſe pauperi, quem induſtrium eſſe putabat & oportebat, creditam, ab hoc non terra defodi, ſed altiſſimo mergi profundo; quo, quæſo, modo Deum hoc eſſe laturum opinabimur, ſi, quantum in nobis eſt, eius beneficia diſperdamus, in noſtrum aliorumque damnum ac detrimentum vertamus, ipſisque factis ſignificemus, ea, multo maiore, quam utile conveniensve fuerat, copia, nobis obtigiſ-

ſe,

Digitized by Google

ſe? Profecto, ſi divinam bonitatem ſapientia regat, etiam heic antecedentem ſceleſtum non deſeret pede pœna claudo; deſtituetur etiam uſu rerum, quibus abuſus eſt: dolores ac morbi multiplices cum ipſos luxurioſos, tum eorum liberos manebunt: infantes morbidi, patribus infirmis orti, repellentur a matrum, et, parentum vitio, debilium, et laſciviæ deditarum, uberibus; adultiores animo degeneres, adſueti deſidiæ, mancipati voluptatibus, avita paternaque bona ſua ſibi nequitia disperdent, ægritudinem parentibus, loco gaudiorum, rependent, atque illorum ſuamque mortem infauſtam maturabunt. — Ita vero terra, ſed vita non excedet infelix animus, cui Deum propitium judicem fore, quis crediderit? quis ſperare auſus fuerit? Quod ſi vero magis morati, melius educati, continentioris vitæ cives ab hiſce vitiis, ingenuo quovis homine perquam indignis, ſibi temperare didicerint, non tamen eos ab omni

Digitized by Google

luxuriæ culpa liberaverim, ſi vel animum unice bonorum externorum fructui deditum habuerint; vel ab illis, quos adhuc memorabimus, effectibus ſibi non caverint; vel etiam in publica ſuorum calamitate deliciis iisdem, quibus adſueti ſunt, indulgere perrexerint: etenim & hoc, quamvis honeſte natus ſis, & impenſas illas ferre poſſis, a divino tamen nutu, & ab officio boni civis, qui non poterit infortuniis patriæ non illacrimare, valde alienum exiſtimandum eſt.

Accedimus ad alterum vitii, quod impugnamus, effectum. Hic eſt; homines luxurioſos illam humanæ rei partem, illam conditionem, in qua locati ſunt, non reſpicere; ſe altius identidem atque altius efferre; magnifice ſe gerere; ceteros alto ſupercilio cives deſpicere; nullum inter ſe, viroſque in republica principes diſcrimen conſpicuum relinquere. — Sic illi, ſive mercatores, ſive fundorum poſſeſſores, ſive de pecuniarum uſuris victitantes, cives tamen priva-

ti,

Digitized by Google

ti, queruli de ſua ſorte ſemper erunt, & quotidie quaſi providum Numen increpabunt, quod non altiore poſiti ſint in civitate loco, unde maiore cum ſplendore ſuam munificentiam, atque liberalitatem oſtentare, largoque tanquam imbre poſſint in infra poſitos depluere. Dum vero ſic ſibi placent in illa rerum externarum abundantia, re vera non benefici, ſed prodigi, fastu ſuperbiaque turgidi, *et*, qui non eodem vitæ genere capiuntur, avaros, ſordidos & contemnendos exiſtimant, *et* eo ſemet efferunt usque, ut ſibi honoratiſſima quævis in Rep. munera competere, ceteros illis indignos videri, nulla, quæ feriat oculos, ſpecie ſe ſuperare valentes, aperte ſatis ſignificent. Ita vero conſequitur illud, AA., ut *cum* qui maiorum ceris illuſtrare ſuas ædes; qui proavos, optime de civitate meritos, ordine longo recenſere poſſunt, & hinc, niſi Luxuria corruperit animos, iisdem præclaris *inſtituri* veſtigiis jure cenſentur, recentibus qui-

Digitized by Google

busdam terræ filiis poſthabeanur, *tum* illum honorem, illam præ ceteris excellentiam tituli & auctoritatis perperam obtinere putentur, qui legitimis ſuffragiis, nullis pravis artibus, in altum ſublati ſunt; quod quantum luxurioſis invidis mœrorem, etiam cum ipſi, rerum civilium imperiti, illis admoventur, quantam in rep. confuſionem parere aptum ſit, non eſt, quod pluribus indicare ſatagam.

Neque minus metuendus aut vituperandus effectus ille tertius eſt, quem nunc memorabo. Qui ſcilicet adſuetudine longa deliciis innutritus eſt, illas adeo dudum amare didicit, ut quidvis potius & facere ſuſtineat & pati, quam ut in tempore ſuis expenſis modum ſtatuere, ac de ſumtuoſo vitæ genere quidquam remittere velit. Efficit hoc altera illa natura, conſuetudo, ut, cum ſemel certo mori dediti fuerint homines, atque mancipati, ne vita quidem amplius vitali ſibi frui videantur, niſi eodem tramite pergant.

Effi-

Digitized by Google

Efficit intempeſtivus pudor, ac prava ambitio, ut, cum ſemel principibus in Rep. viris vel miſcere ſe, vel pares habere cœperint, nihil minus opinentur a ſe fieri poſſe, quam de lubrico illo, quo ſe dignati ſunt, honoris culmine deſcendere. Facit hoc aliorum hominum, non magis rectam rationem ducem ſequentium, exiſtimatio, ut vel frugales ac parci, vel ipſi illi, qui, caſu quodam moniti divinitus, accuratius in poſterum ad rem adtendere velint, deſpectui habeantur, dum honore deberent ampliore digni cenſeri. Sic tamen comparatæ ſunt omnes illæ res humanæ & externæ, quibus adeo delectantur luxurioſi, ut, cum fluxæ caducæque ſint, *et* multis modis, alis veluti aptatis, aufugere, *et*, corpora tantum ſenſusque moventes, animo, quidquid exoptent, inmortali ac rationali, veram quietem felicitatemque nullam conciliare poſſint. Quod ſi ergo calamitas aliqua, quod mille modis fieri poteſt ac ſolet, ubi ſuo

de-

Digitized by Google

deſunt homines officio, perculerit inopinos; ſi paulatim, quotannis plus erogando, quam in arcam redierit, hæc funditus tandem exhauſta ſit; quid faciant, qui rebus tantum ſpectabilibus adhærere, qui vitam ipſam in illis quærere conſueverunt? Laborem intendere nervosque vel imperitia, vel habitu diuturno contracti mollities, ac deſidia, vel pudor inſanus, non minus quam ab aliis alimenta gratis petere, prohibet. Hoc igitur, quam diu fides ipſis habetur, agunt, ut undique pecunias, tanquam avariſſimi, corradant (*l*); operarios mercede fruſtrentur; ut

(*l*) *Cic.* de Off. L. I. C. 8. *Delectant magnifici apparatus, vitæque cultus cum elegantia & copia: quibus rebus effectum eſt, ut infinita pecuniæ cupiditas eſſet.* —— *Sall.* Catil. C. 12. *Ex divitiis juventutem luxuria, atque avaritia, cum ſuperbia invaſere.* —— *Rollin*, *Maniere d' enſeign. & d' etud.* T. IV. p. 20. —— *Le Luxe, pour fournir aux dépenſes, qui déviennent de jour en jour plus grandes & plus inormes, dégénère bientôt en avarice, & eſt forcé d' avoir recours aux injuſtices & aux rapines.* Add. *Quinct.* I. O. L. VII. C. 2. §. 29. ibiq. *Geſn.* & *Adagia* Cognati, ed. 1629. fol., p. 88.

Digitized by Google

ut alios, homines induſtrios, de ſuo victitantes, improbo labore tantum lucratos, ut aliquid peculii fœnori collocare poſſint, emungant numis; ut creditoribus vel plane non, vel non niſi verſura facta, ſolvant; ut, quam diu ſic priſtinam vitam ducere licet, de alieno potius, quam de proprio, vivant; mutuamque pecuniam ſumant, quam reſtitutum iri numquam, certi ſunt. Ita vero tandem eo delabuntur, ut, vel ipſi ſe liberosque ſuos ad mendicitatem redigant: vel, ſi magis callidi ſceleſtique ſint, quanto maximo cum lucro fieri poſſit, foro cedant, creditores fruſtrentur, malisque artibus tantum ſibi de bonis non ſuis retineant, quantum ſufficit ad vitam alibi quiete & otioſe degendam. Ita, quis dubitet, quin cives peſſimi, ſocii perfidi ſint, imo furibus atque latronibus multo peiores ac periculoſi magis, quum hos ſera excludere, vi repellere liceat; aſt ſubdolos iſtos amicos, divitum ſpecie cuivis imponentes, do-

Digitized by Google

los ex dolis nectentes, nihil penſi habentes, dum aliorum numos gulæ ſuæ ſuperbiæque ſervire jubeant, neque agnoscere plerumque, neque cavere poſſis? Quod ſi igitur furtum ac latrocinium committere, ſi viatores ſpoliare, ſi pecudes abigere, turpe & ſceleſtum eſt, quid, quæſo, dicendum erit de luxurioſo vivendi genere, quam primum, eius quam diutiſſime continuandi cauſſa, plus erogetur, quam ferant reditus?

Accedunt, AA., adhuc aliæ noxæ. Vivimus hoc in orbe tempus non adeo longum: hic forte vel craſtinus dies ultimus erit. Quid ergo tempore pretioſius excogitari poteſt? quodnam detrimentum maius, quam temporis? Illud autem homines noſtri nugis, moleſtisque circa fluxa & inania, circa veſtem, comam, greſſum, choreas, ludos, aleam, ſcenas, ornatum ædium, menſæ, ſupellectilis, atque dapum, curis & anxietatibus terere ſolent; atque ita vivere,

vere, tanquam morituri, tanquam ſenium contracturi numquam. Quod ſi vero alterutrum evenerit, eheu! quam miſeranda conditio eſt, omnibus illis, in quibus vita tranſacta eſt, excidere bonis, æterna mala metuere? — Diximus, animi bona vere noſtra eſſe: quicumque igitur hæc ſibi comparare neglexerit, omni vero bono deſtituetur: nil niſi malum vere poſſidebit: Itaque neceſſe eſt, ut omni quoque vera delectatione careat, omnique ſuavitate, quam ex artium ac ſcientiarum cognitione, bonoque per illam aliis procurato, naſci fatentur quotquot in illis ætatem triverunt.

Attamen, neque ſpernendæ ſunt divitiæ: ſed & his ex Rationis præſcriptis utendum eſt, ac vera felicitas augenda; quod maxime fiet, ubi quam plurimis benefaciamus, ærumnas aliorum minuamus, egenorum miſerias in melius mutemus. Hinc, etiamſi gratus animus haut ex merito ſequatur, oritur animo tranquillitas,

 ad-

Digitized by Google

adprobatio, ſublimis illa voluptas, quam experiri oportet, ſi noscere velis. Sed & hac, & illa, quæ ex felici matrimonio, liberorumque proſperitate nascitur, delectatione deſtituuntur prodigi; reditus omnes ad faſtum alendum adhibere ſoliti, nimiumque inmerſi voluptatibus, quam ut alterum adjuvare pecuniis, aut uxorem ducere velint. Hinc vel illos experientur morbos, qui ex fœda ſcortatione ſequuntur; vel illos angores animi, qui familiarium uxores adulteratas, virgines corruptas, animos a virtute alienatos, exprobrent; vel, ſi forte duxerint uxorem, hanc, ſe, liberosque ſuos ad egeſtatem perductos, aliosque juſtis poſſeſſionibus fraudatos, identidem ſævis aculeis ſeverum conſcientiæ judicium admonebit.

Ita vidimus, AA., hominem luxurioſum neque ipſum felicem eſſe, neque alios efficere felices: e contrario nocere ſibi ſuisque, nocere civibus. Quod ſi ergo vel ſingula, vel quam pluri

plurima civitatis membra, vitiis illis inmerſa, tam turpi, tam periculoſo morbo laborent, fierine poterit, ut huiusmodi respublica, quæ certe non aliter quam e ſingulis conſtat, ſana ac ſospes, ut in ea vivere optabile, ſit? Imo, jam patuit, voluptatem & optimarum rerum abuſum, faſtum ac ſuperbiam, furta fraudesque, deſidiam, avaritiam, adulteria, ſcortationes, infrequentiam matrimoniorum, eſſe metuenda: hæc autem ubi dominantur, quis felix erit, aut ſecurus?

Quod ſi vero civitatem bene conſtitutam intueamur, illud in ea neceſſarium eſſe reperiemus, ut quæcumque cum ad ſecuritatem tuendam, tum ad augendam felicitatem faciant, adſint: utque, pacto, quo ſpiritus illi corpori fuit additus, convenienter, omnium civium voluntates ac vires ad hunc finem ordinentur. Ita non poterit non quævis civitas tanto melior eſſe perfectiorque, quanto magis ad hanc normam

compoſita, nec non tanto deterior & imperfectior haberi, quanto magis ab eadem diſcedere deprehenditur. Iam animo nobis illam civitatem proponamus, cujus cives induſtrii, religioſi, frugales, ordinis atque decoris ſtudioſi, ſimul vero liberales, hospitales, elegantiarum, & urbanitatis amici fuerint: illic, ut in ædibus, a ſapiente patrefamilias ex officio rectis, omnes dextre gnaviterque ſuis fungentur partibus, ipſi volentes bonum publicum anteferent privato lucro & commodo: nihil in pace, quod ad amœnitatem atque ubertatem, neque, in bello, quod ad defendendam regionem, hoſtesque vincendos requiritur, deerit. Aſt, date mihi civitatem, in qua cives, etiam non adeo multi, luxuriæ vivant & deliciis inmerſi, ſic illi, non niſi numero, ſumtu, frugibus perdendis, utiles, ceterum & inutiles, & exemplo ſuo noxii, quanto plures intemperantiæ ſocios, aut æmulos, habere cœperint, tanto plus damni ac detrimenti

Digitized by Google

ti ſuæ civitati conciliabunt: tanto magis illam a perfectione, ordine, harmonia, deducent; & efficient, ut neque pace, neque bello ſecura felixve eſſe poſſit. Et, quanto libentius homines in otium ac deſidiam proni ſunt, tanto facilius etiam pauca pravorum exempla cives alios atque alios eadem contagione, gangrænæ ſerpentis ad inſtar, inficient, neque ſiſti malum poterit, donec omnes civium claſſes & ordines perreptaverit, tandemque ſummam confuſionem atque discordiam motuum produxerit, quæ vel in plenam reip. perniciem exitura, vel ſero, & vix adhuc in tempore, mutandos eſſe mores, admonitura eſt. Quippe noxiæ illæ luxûs ſequelæ, quas ante memoravi, neque largam ſatis egenis vivendi copiam, neque mutuam inter civium ordines ſubjectionem integram, neque ſecuras cuique ſuas poſſeſſiones relinquent; ſed cum ad otium atque mollitiem, tum ad avaritiam, & quovis indigno modo corradendos numos, incita-

tabunt. Adde, quia magnis utique ſumtibus opus erit ad alendam, etiam in inferiore claſſe, familiam, quod ab honeſtis nuptiis, & procreanda prole legitima retrahantur quam plurimi. Adde, quod merces peregrinæ quærantur; redituum maiorum cauſſa parata pecunia mittatur ad exteros, debitores ſæpe nihil minus quam locupletes, & hinc tandem perfidos. Opifices, victu deſtituti, quia neque vivendi præſidia modico pretio comparare, neque tantum lucrari poterunt, quantum neceſſe eſt ad illa habenda, vel aliorſum ſe conferre, vel publicis impenſis ali debebunt. Ita quoque artes ac ſcientiæ, neque ullo in pretio habitæ, neque præmia ſuis cultoribus digna ſpondentes, negligentur; otio, deliciisque juvenes adſueſcent; ad imperitiam barbariemque priſtinam citatis paſſibus redibitur. Hæc ſi pax præparaverit, quales bello futuros milites, quales mari nautas, opinabimur? Pauciores effecit homines luxuria; quos vero re-

li-

Digitized by Google

liquos eſſe patitur, illi deſides, otioſi, molles, feminæ verius imbelles, quam viri ſunt; & ducendis choreis, quam patriæ defendendæ, multo aptiores: ſic facile victæ manus hoſti porrigendæ; ſic dulcis libertas, quam nemo bonus niſi cum vita perdidit, dimittenda; ſic loco felicitatis ac ſecuritatis, quam habere licuerat, ærumnæ quotidianæ, miſeriæ perpetuæ erunt, nihil tutum amplius, pax nusquam. Hæc breviter enumerata ſiquidem ex luxu, vitio ſanequam multiplici varioque, profluant, dubitari non poterit, quin ille civitati maxime noceat. Et hæc ſi ex ipſa luxuriæ civitatisque natura ſequantur, quid tandem, AA., dilectiſſimæ patriæ noſtræ putabimus eventurum, ſi cives, non dicam, ab hoc vitio ſibi non caverint, ſed ſi in tempore illi non renunciaverint? Etenim, uti non poſſunt huic Belgicæ noſtræ non nocere quæcumque civitatibus aliis exitioſa ſunt, ita peculiares adſunt rationes, quæ multo magis

Digitized by Google

heic, quam alibi formidandum efficiant inſanam illam rerum ſuperfluarum cupidinem. Creverunt regiones noſtræ frugalitate (*m*), continen-

(*m*) Non diffiteor tamen, multum veri ineſſe obſervationibus de majorum noſtrorum frugalitate, quas apud *Mandevillium* legere eſt, *Fable des Abeill.* T. I. p. 229. ſqq. ſic autem, ut, ſi ipſum regionis noſtræ a fluminibus ac mari periculum nos frugales eſſe jubeat, tanto turpius luxuriæ vitium ſit. — Memorabile eſt, quod in *the London Chronicle*, An. 1766. 30. Sept. Vol. XX. N° 1527. p. 325. col. 2. legere memini, poſterisque tradi meretur exemplum; — ſcilicet, venerandus ſenex, omnibus in una de præcipuis Hollandiæ urbibus muneribus ſunctus, idque honeſte & egregie (*a venerable old man, who had paſſed all the offices in one of the chief towns in* Holland *with honour and reputation*), liberis nepotibusque convocatis epulas frugales primum ac parcas, neque ferculis, neque famulis, neque ſupellectile divites adpoſuit; deinde ſequebantur nitidiores, neque tamen pro hominum elegantiorum huius, quod vivimus, ſæculi conſuetudine: tandem opiparæ, ſomtuoſæ dapes, aurea ſupellex & argentea, lintea tenuiſſima, muſicorum ac famulorum turba prodierunt: ita vero vir egregius creviſſe, ſic ſtetiſſe, ſic, niſi mutentur mores, interituras civitates Belgicas eſſe, ſuos poſtridie, ut ibi narratur, monuit. — Mirabar, in illis haberi Novorum relatio-

nentia, fide, religione, bonis moribus: neque aliter conſiſtere poterunt, niſi per eadem, per quæ caput extulerunt, media; creverunt atque conſiſtunt adhuc mercatura & induſtria; his dilabentibus, uti jam lapſa ſunt plerisque locis opificia; uti luxuria plus ſatis & patriam noſtram, & colonias Indicas infecit; quid ſupereſt, AA., niſi ut inminuatur felicitas ſecuritasque noſtra; ut ſtabili firmoque talo res noſtra publica non nitatur amplius; ut nutet, vacillet, tandemque collabaſcat? Agri noſtri, proventu divites, divites pecoris, gratiſſimum incolis cibum abunde ſuppeditare ſoliti, ſi fluviorum inundationibus, boum mortibus vaſtentur, neque cives tamen de luxuria ſua remiſerint, quid aliud exſpectare po-

tionibus, quod eadem æſtate de viro magno, *G. A. Haſſelaer*, per urbes noſtras narratum fuerat. — Imo iam ad A. 1588. de luxu ingruente conqueritur *H. Grot.* Ann. L. V. p. 113. quem etiam inſpice ſis ad A. 1596. *Hiſt.* L. V. p. 260. ſq.

poterimus, niſi pavorem, pallorem, maciem, & inediam, qua ſoli noſtri felix natura exareſcat, incolæ diffluant, civibus reliquis neque pace, neque bello, quod Deus avertat! bona ſpes ſuperſit? — Abſit autem, ut heic ego cenſorem magiſtratuum aut legiſlatorum noſtrorum me conſtituere velim, eosque increpare de legum ſumtuariarum defectu aut neglectu: neutiquam illud animo meo propoſui; neque ſatis adparet utilitas eiusmodi legum: ſed ſingulos admonere volui, qui ſi mores mutare, ſi familiæ ſuæ patriæque commodis adhuc adtemperare cœperint, nihil eſt, quod desperare de ſalute & incolumitate noſtra jubeat.

Aſt, antequam perorem, ſcrupuli quidam erunt eximendi, qui procul dubio ſpeciem habent, & multorum animos in contrariam ſententiam rapere poſſint. Etenim, ſi luxuriam omnem e civitate proſcribas, quid tandem ajunt multi, de ea futurum erit? Hæc ſi plane

tol-

Digitized by Google

tollatur, eodem momento gnavitas omnis, induſtria, cultura ſcientiarum & artium, ipſa, quæ tanti momenti eſt, mercatura tolletur: quippe niſi ſint, qui res ſupervacuas emere velint, & earum poſſeſſione ſe beatos cenſeant; deficient etiam, qui noſtram ſibi velint abundantiam comparare, nos ea levare, ſuasque merces, quibus deſtituimur, ad nos deferre; deficient opifices & artifices, qui res non neceſſarias conficiendo, poliendoque, victum lucrari poterint. — Enim vero minime cives omnes agricolas eſſe, ſuæ regionis intra fines ſe continere, peregrinos quosvis hoſtes habere, volumus; ſed, hæc ipſa cum exteris commercia, ſed illud omne, quod vivendi copiam, pecuniæque rotationem augeat, quocumque meliore modo, promoveri; publicam etiam magnificentiam curari, ſed ab omni tamen ardore & furore, qui vel ordinem turbet, vel ultra cuiusque reditus quotannis excurrat, vel abuſui rerum utilium in-

Digitized by Google

dulgeat, temperari; dum autem illi caventur effectus, illi characteres Luxuriæ, ipſam adeſſe nos quidem negamus: neque adeo cum illis maxime litigare cupimus, qui modicum luxum, vel mercatura ſubnixum, neceſſarium dictitant, nimium vero fugiendum eſſe largiuntur (*n*), a quibus verbis potius, quam ipſa re nos diſſentere fatemur; ita tamen, ut noſtra nobis finitio ac ſententia clarior multo, minusque periculoſa eſſe videatur. Quippe ſi ſecundum ea, quæ proponuntur, rem terminaveris, vix idoneos illos ac neceſſarios limites adſignaveris, intra quos laudabilis Luxus conſiſtat, quosque excedens noxius & reprobandus ſit. — Aſt maior ab alio pſeudopoliticorum genere tempeſtas inminere videtur, qui & luxum neceſſarium eſſe, & vitiis tamen accenſendum, &, quantuscumque fue-

(*n*) Sic *Humius*, & Auctor *des Elemens du Commerce*, locis adnot. (*e*) p. 12. 13. laudatis.

ſuerit, noxium minime putandum, aiunt. Hi quandoquidem ita ratiocinantur, ut vel aliam veritatem politicam, quam Theologicam (*o*), vel potius hanc, quæ vulgo certa cenſetur, falſam eſſe, ſignificare velint, tanto magis periculoſi ſunt, quanto plus damni detrimentique ex peſtilenti iſto hominum genere, quod cœlum ipſum ſtultitia petit, omnibus inminet civitatibus. Quid enim? negare nequeunt, pri-

(*o*) Ita fere *Melon*, *Eſſai polit. ſur le Comm.* C. 9. p. 124. *C'eſt à la religion à tâcher de détruire le Luxe, & c'eſt à l'Etat à le tourner à ſon profit; & lorsque nous avons parlé des vaines declamations, ce ne ſont point de celles de la Chaire.* —— Nec melius Ill. *de Bielfeld*, *Inſtit. Polit.* T. I. C. 4. §. 20. p. 47. *La ſévérité de la Morale Theologique peut quelquefois défendre ou ordonner de certaines choſes ou la ſaine Politique dit tout le contraire.* Tradit, fateor, regulam, C. 14. §. 45. p. 301. *qu' un ſouverain doit toujours proportionner le Luxe de ſon pays aux moyens qu'il a de le ſatisfaire par l'Induſtrie de ſes propres ſujets*: ſed quæ mihi multo magis & obſcura videtur, & difficilis, ſi in rem præſentem eatur, quam Ipſi. Add. *Théorie du Luxe* P. II. p. 150.

Digitized by Google

privatis ac ſingulis ſæpiſſime noxiam eſſe luxuriam: quod ſi ita eſt, merito cenſebitis, AA., aliter fieri non poſſe, quin eadem reip. nocere debeat: qui enim aliter, quam ſingulorum ſalute ſociorum, integra vigere poterit & creſcere ſocietas? Et cur tandem homicidæ, latrones, ac fures, pœnis adficiuntur, niſi quod, dum ſingulos lædunt, ita civitatem lædant omnem? Sed, quis crederet? aliter illi, ſic ſatis, ut ſibi videntur, ſubtiliter rationes ſubducunt: & hanc ipſam privatorum ruinam civitati nihil nocere ſtatuunt, quia, ſcilicet, huic perinde ſit, Titius an Mævius agros, villas, argentum habeat; dum hæc omnia non ideo civitati pereunt, ſed in ea manent, neque adeo minus in ærarium redit; imo tanto magis divitiæ diſtribuuntur & in circulum aguntur, quod ipſum inmenſum quantum publicis rationibus utilius eſt, quam ſi cumulentur numi, & in arca quaſi ſepeliantur. — Agite, videamus ſingula:

Ta-

Digitized by Google

Fatemur, avaritiæ vitium eſſe turpiſſimum, ipſi luxuriæ vel æquiparandum, vel præponderans, idololatriæ ſpeciem, neque reip. neque privatis minus metuendam, quam alium quemvis ſcelerum fontem. Id tamen certum eſt, quamvis licet magnus amor numorum avaros occupet, illos cavere non poſſe, quo minus ipſorum undique conſtipati theſauri ſibi ſupervivant, ac ſerius ocius in orbem, in illa civitate, quam nimis diu eorum uſu privaverant, revertantur. — Sed quid efficit luxuria? Hæc exemplo nocet, mores corrumpit, agriculturam deſpicit, aliorſum mittit pecunias, in peregrina civitate ſepeliendas, neque unquam ad cives redituras noſtros. Quod ſi forte bonis luxurioſi paternis avitisque non excidant, ſed tam immenſos, induſtria maiorum, acervos habeant, ut inde luxum alere per omnem vitam poſſint; non tamen ideo minus intolerabili ſuperbia, diſpendio temporis, animi corporisque virium,

Digitized by Google

abuſu facultatum, deſidia, negligentia, ſibi, ſuis, patriæque nocebunt; & quanto magis in omnes civium ordines idem vivendi genus perreptaverit, tanto minus virtutis in ea civitate manere, tantoque minus divini favoris in eam redundare poterit. Sin vel ipſi, vel certe liberi nepotesve, forſan numeroſiores, quam eodem avorum ali patrimonio, non ad eundem, ſed ad auctum adhuc, luxuriæ modum poſſint, tandem, etiam peregrino principe nomen fraudante, fortunarum naufragium fecerint, quid jam evenire neceſſe eſt? Ita neque in civitate noſtra manebit eadem pecuniæ quantitas, cuius antea quotannis uſuræ percipiebantur, neque inter ceteros eadem diſtributa videri poterit, cum ubique magnam partem divitiae non in numis magis, quam in fide conſiſtant. Sed in his ipſis ædium opulentarum everſionibus, quarum rudera labuntur intra civitatem noſtram, quantum injuriæ damnique non in alios cives jam

Digitized by Google

jam devolutum erit? quanta vel cum negligentia, vel cum agricolarum vexatione culti, quantum deteriores erunt redditi, nimium proventum poſtulati agri? Præterea, ſemperne perinde erit, quis in rep. ſupra ceteros emineat? Siccine nihil intererit, utrum antiquarum ſplendor familiarum intactus ſervetur, atque exinde, maiorum exemplis incitati, poſteri patriæ civibusque utiles virtute, prudentia, fortitudine pergant exſiſtere: an vero obſcuri terræ filii, ſpoliis illuſtrium recens ditati, peregrini paſſim & exteri, humiles in altum ſurgentes, præcipuis reip. muneribus admoveantur? Denique, nonne poterit alio, multo magis certo, innoxio, utili modo pecuniae circulus promoveri? Nonne ſunt ſuſtentandi miſeri, maritandi egeni, dotandae virgines, educandi orbi, viduae alendæ, ædes publicæ inſtaurandæ, reficiendæ viæ, muniendi aggeres, ſtipendia militibus & claſſiariis adſignanda, præmia ſcientia-

rum & artium tribuenda cultoribus, opificiis admovendi pauperes, doctores in Indiam mittendi, propaganda religio, novæ regiones indagandæ, novalia colenda? Nonne communi ſumtu conſuli poterit civium & armentorum ſanitati, damnoque a ruinis, incendiis, naufragiis metuendo? Hæc vero ſi displicent, & eadem omnia luxu putantur obtineri, nihil quoque deinde vitii habebunt ebrioſorum compotationes, ludentium fraudes, aleatorum inſaniæ furoresque, puellarum ſcortationes, imo latronum audacia, urbium incendia, avarorum mortes, ferro aut veneficiis properatæ: neque minus enim hæc omnia pecunias aliorum ad alios devehent, & in circulum agent (*p*).

Ita quidem, AA., adverſariorum præcipua tela retuſa, ſic ſatis cauſſa noſtra defenſa videtur;

(*p*) Conf. *Berkeley's*, *Alciſron*, *or the Minute Philoſopher*, ſive *De Knibbelaar*, Colloq. II. §. 2. ſqq.

Digitized by Google

tur; quam omnis ævi, ſapientum omnium, monitis & exemplis (*q*) firmare nullo poſſemus negotio, ſi hoc agere vellemus: addere poſſem, ipſos nuper Franco-Gallos ad eiusdem patrocinium, publice propoſito præmio, poëtas & philoſophos evocaſſe: maiores noſtros etiam olim obviam ire Luxuriæ per leges ſumtuarias eſſe conatos (*r*): ab eadem Ordines noſtros edicto nuperrime ſuos cives eſſe dehortatos (*s*): ſed hæc & ſatis cognita, & mi-

(*q*) Negat hoc Auctor *de la Théorie du Luxe* P. II. p. 136. & p. 159. ſeqq. cui *Grotii* verbis, *Ann.* L. V. fin., reſponderi poteſt: *pro virtute erant hoſtium vitia, quorum intolerabilior luxus ne inopia quidem mutabatur.*

(*r*) Vid. ex. gr. *Groot* Utrechts *Placaatboek*, T. I. p. 418. §. 28, 29. p. 419. §. 34—41. & p. 725. & T. III. p. 280. & *Statuta* Harlemenſia, Ann. 1490. apud *Boxhorn* in *Chron. Zeland.* T. I. p. 182. *Matth.* de *Nobilit.* L. IV. C. 34. p. 1142. & in *de Handveſt.* *van* Haarl. p. . . .

(*s*) Edicto, quo publice dies jejunii ac ſupplicii fuit indictus in 6. Febr. hui. an. hæc habentur: *de weelde en overdaad, die dagelyks onder allerlei ſoorten van menſchen meer en meer toenemen, en*

minus neceſſaria dictu ſunt exiſtimanda ; cum vel fateantur Luxuriæ patroni , ſic ſatis inepte cen-

en die noch door vermindering van inkomſten, noch door vrees van het gevaar dat wy loopen, noch zelfs door het gevoel van de treffende ongelukken, in toom kan gebouden worden, —— geven ons eene regtmatige bekommering, en meer dan te veel redenen om alle de inwoonderen des lands wederom by een te roepen, om zig op eene plegtige wyze voor den hoogen God te vernederen, en te verootmoedigen. —— Neque pro calamitate, civibus illata noſtris, non habenda eſt regis Francogalli, reditus annuos minuentis, inopia, de qua venuſte cecinit hac in urbe non nemo vir Illuſtris, ut aiunt:

Si ſans orgueil, comme nos ancêtres,
Qui vouloient plus être, que paroitre,
Nous aurions toujours vecu ;
Nous n'aurions, pour augmenter nos dépenſes,
Envoyé notre argent en France,
Et vû la moitie perdu.
Si avec cette moitié, qui nous reſte,
Nous redevenons ſimples & modeſtes,
Nous aurons de ſuperflu,
Mais ne voulant ſuivre cette methode,
Mais en ſuivant le Bonton & la Mode,
Nous ſerons bientôt fondu.

Digitized by Google

cenſuiſſe veteres, atque maiores noſtros, vel aliam longe rerum faciem exortam fuiſſe deinceps adſerant: cum tamen fieri poſſe neget æternum injuſti juſtique discrimen, ut umquam vitio felix, infelix virtute, vel homo, vel domus privata, vel civitas evadat. Atque, uti ſingulis haut raro meritam in hac vita pœnam divina clementia non irrogat, ita ſumma juſtitia non patitur, ut unquam impune ſit populo, quem, qua talem, ſæculum aliud non manet, indulſiſſe ſceleribus. Quodcumque igitur in Republica diſſolutos mores, quodcumque ſacrorum publicorum neglectum, quod veræ religionis ac pietatis contemtum excitat aut fovet, illud civitati vulnus altiſſimum non infligere non poteſt; quod tantum abeſt, ut legibus etiam maxime ſeveris curari poſſit, ut contra nihil æque ſit efficax ad omnem legum vim eludendam. Huc vero luxuriam tendere, *cum* ex eius effectibus antea memoratis, abuſu rerum optimarum,

faſtu

Digitized by Google

faſtu & ordinis civici conturbatione, damnis & injuriis, quibus aliena jura poſſeſſionesque violantur, avaritia, minuto hominum numero, neglecta tam agrorum, quam bonarum artium, cultura; *tum* ex ipſa veræ religionis indole palam eſt. Etenim hæc, uti non jubet a nuptialibus, aliisque conviviis, abſtinere, ſed omnes res a Deo creatas bonas exiſtimare, dummodo ſecundum fines divinos adhibeantur; ita nemini revera curæ cordique eſt, officia, ſibi, civibusque debita, negligenti. Hæc easdem virtutes, quas ratio bono civi præcipit & homini, non minus ſevere, multoque magis efficaciter, renovato per Chriſtum animi ſpiritu, a nobis exigit; hæc ita vivendum eſſe monet, ut, omnium factorum, dictornm, cogitationum, aliquando, coram ſanctiſſimo Numine, judicium ſubituros, meminerimus; ut, omnes homines cognatione nobis propinqua junctos, cenſeamus; alios nobis anteferamus; ut animo pra-

vi

Digitized by Google

vi cupidinis eradamus elementa; ne corpus præ mente curemus; ne comeſſationibus, ebrietati, intemperantiæ indulgeamus; operarios mercede fraudemus; ut ab omni mali ſpecie ſollicite caveamus; perfecti ſimus ad inſtar patris noſtri cœleſtis; imaginem Chriſti, ſanctiſſime ſubmiſſeque viventis, actionibus exprimamus; neque illo maiores eſſe velimus; quidquid laudabile ſit, agamus; hoc mundo numquam abutamur; aliam, poſt hanc, vitam, patriam veram atque cœleſtem, nos quærere, neque partem hac in terra, in qua tanquam peregrini divertimur, deſiderare, palam oſtendamus: verbo, Deum omnibus animi corporisque viribus, homines autem reliquos, ut ipſi nos, amemus. Hæc autem quanto opere ab omni Luxurie dehortentur, & ipſi facile perſpicitis, AA., & moneri pluribus huius non eſt loci, nec temporis.

Igitur, ad finem properans, ita velim exiſtimetis, potiorem quavis lege ſumtuaria, quam

Digitized by Google

facile ditiores eludant, & utiliorem multo publicæ rei, civium noſtrorum hanc fore perſuaſionem, cum privato, tum civitati cuilibet, in primis Belgicæ, noxiam admodum eſſe Luxuriem: neque ad hanc reprimendam fortius excogitari poſſe repagulum, quam puriſſimæ ſanctisſimæque religionis Chriſtianæ doctrinam incorruptam, & huic conformem vitæ rationem.

Ita finiit, AA., in quo cœpta fuerat, oratio: ita vero vos præ ceteris, egregii juvenes, cariſſima pectora, cenſere volo; ſiquidem ipſi felices, utiles patriæ, cupitis evadere, Sirenum cantibus, profanorum ratiunculis, obturandas aures eſſe, vitandas improbas deſidiæ luxusque illecebras, maximi ſemper faciendam veræ felicitatis divinitus indicatam ſemitam.

Supereſt, ut vobis, Ampliſſimi Nobiliſſimique Academiæ Curatores, quantas maximas posſim, agam gratias, habeamque memori pectore

re

Digitized by Google

re ſemper maiores, quod Academici magiſtratus honore me quoque dignum h bere volueritis. Illud equidem, quam vobis referri gratiam merito deſideratis, quantum precibus ad Deum fuſis, quantum laboribus, quantum exemplo vitæ morumque eniti potero, curare pergam, ne vos umquam in me collati favoris, ne parentes filiorum in disciplinam mihi traditorum, ne juvenes, etiam poſtquam conſenuerint, meis interfuiſſe lectionibus pœniteat. Ita veſtram porro benevolentiam huic Academiæ, noſtris auditoribus, atque nobis rogamus, ſperamus, exſpectamus.

Tibi vero, Clariſſime CAROLE SEGAAR, hunc ego locum cedo lubens: anni jam cœpti Rectorem Magnificum ex Ampliſſimorum Conſulum ac Senatorum decreto Te renuncio: trado Tibi ſceptra: trado quidquid habet hoc munus honoris & emolumenti: gratulor ex animo

Digitized by Google

novum hunc titulum, rei bene geſtæ, in Academiæ decus & emolumentum, publicas quaſi tabulas: hunc Tibi, nobis, Academicæ juventuti, Curatoribus, Ordinibus, AURIACO Principi, patriæque omni felicem ac proſperum annum evenire jubeat Deus Opt. Max.! & Tu, Sol Juſtitiæ, illuſtra nos!

D I X I.

Digitized by Google